

pliar modestie ciborum; nec causa vivere volentium in deliciis mensam propriam præparemus: uniformis enim est Christiani vita, ad unam intendens intentionem, scilicet ad gloriam Dei; multiformis vero, & varia vita eorum qui de foris sunt, pro libito variata. Tu vero cur dum copia ciborum, & causa delectationis fratri præparas mensam, criminaris eum voluptatis, & diffundis in eos gulositatis opprobria, arguens delicias ejus in eo quod præparas? Non commendavit Dominus Martham occupatam circa frequens ministerium. *Augustinus de Ver. Dom. (serm. 27. inter princ. & med.)* Quid ergo? Putamus reprehensum esse ministerium Marthæ, quam hospitalitatis occupaverat, quæ tanto hospitio læratur? Hoc si verum est, dimittant homines quod ministrant egentibus: vacent verbo, occupentur circa scientiam salutarem; nihil sit cura eis quis peregrinus in vico sit, quis egeat pane; vacent opera misericordiae, uni inferatur scientia. *Theophylactus (super Marthæ, Marthæ sollicita es.)* Non ergo Dominus hospitalitatem prohibet, sed plurimorum turbationem, scilicet abstractionem, & tumultum. Et videt consilium Domini, quod prius Dominus nihil dixerat Marthæ; sed postquam illam so- rorem ab auditu studebat avellere, tunc Dominus occasione habita increpavit eam: usque enim adeo honoratur hospitalitas, donec (1) ad necessaria nos attrahit; cum vero incipit ab utilioribus impedire, manifestum est quod honorabilior est divinorum auditus. *Augustinus de Verb. Dom. (a) (serm. 27. à med.)* Non ergo Dominus opus reprehendit, sed munus distinguit: sequitur enim: *Maria optimam partem elegit, quæ non auferretur ab ea.* Non tu malam, sed illa meliorem. Unde meliorem? Quia ab ea non auferretur, à te auferretur aliquando onus neces-

(1) *Al. ad necessaria.*

Ex EDIT. P. NICOL. (a) Serm. 26. & 27. non uno eodemque tenore, sed permixtim interserendo quædamque serm. 26. habentur cum aliis ex 27. sumptis, & prioribus posteriora præmittendo.

(b) Vel in antiquis codd. cap. 25. super illud Job 5. *Ingressus in abundantia sepulcrum.*

CAPUT XI.

(a) **E**T factum est, cum esset in quodam loco orans, ut cessavit, dixit unus ex discipulis ejus ad eum: Domine, doce nos orare, sicut docuit Joannes discipulos suos. Et ait illis: Cum oratis dicite: Pater, sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum; panem nostrum quotidianum da nobis hodie; & dimitte nobis peccata nostra, siquidem, & nos dimittimus debentibus nobis; & ne nos inducas in tentationem.

(b) Et ait ad illos: Quis vestrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi: Amice, commoda mihi tres panes: quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo quod ponam ante illum: & ille de intus respondens dicat: Noli mihi molestus

lestus esse, jam ostium clausum est, & pueri mei tecum sunt in cubili: non possum surgere, & dare tibi. Et ille si perseveraverit pulsans, dico vobis, & si non dabit illi surgens, eo quod amicus ejus sit; propter improbitatem tamen ejus surget, & dabit illi quotquot habet necessarios:

(c) Et ego dico vobis: Petite, & dabitur vobis; quærite, & invenietis, pulsate & aperietur vobis: omnis enim qui petit accipit, & qui quærit invenit, & pulsanti aperietur. Quis autem ex vobis patrem petit panem: numquid lapidem dabit illi? Aut piscem: numquid pro pisce serpentem dabit illi? Aut si petierit ovum, numquid porriget illi scorpionem? Si ergo vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris; quanto magis Pater vester de celo dabit spiritum bonum petentibus se?

(d) Et erat Jesus ejiciens dæmonium, & illud erat mutum: & cum ejecisset dæmonium, locutus est mutus, & admirata sunt turba. Quidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia: & alii tentantes, signum de celo quærebant ab eo.

(e) Ipse autem, ut vidit cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum in se divisum desolabitur, & domus supra domum cadet. Si autem, & sathanas in seipsum divisus est, quomodo stabit regnum ejus? quia dicitis in Beelzebub me ejicere dæmonia. Si autem ego in Beelzebub ejicio dæmonia, filii vestri in quo ejiciunt? Ideo ipsi judices vestri erunt. Porro si in digito Dei ejicio dæmonia, profecto pervenit in vos regnum Dei.

(f) Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet. Si autem fortior eo superveniens vicerit eum, universa arma ejus auferet, in quibus confidebat, & spolia ejus distribuet. Qui non est tecum, contra me est; & qui non colligit tecum, dispergit.

(g) Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca iniqua, quærens requiem; & non inveniens dicit: Revertar in domum meam unde exivi. Et cum venerit, invenit eam scopis mundatam: & tunc vadit, & assumit septem alios spiritus secum nequiores se; & ingressi habitant ibi; & fiunt novissima hominis illius pejora prioribus.

(h) Factum est autem, cum hæc diceret, extollens vocem quædam mulier de turba dixit illi: Beatus venter qui te portavit, & ubera quæ suxisti. At ille dixit: Quinimmo beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.

(i) Turbis autem conturbantibus, coepit dicere: Generatio hæc, generatio nequam est. Signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ Prophetæ: nam sicut fuit Jonas signum Ninivitis, ita erit, & Filius hominis generationi isti. Regina Austri surget in judicio cum viris generationis hujus, & condemnabit illos: quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis; & ecce plusquam Salomon hic. Viri Ninivæ surgent in judicio cum generatione hac, & condemnabunt illam: quia poenitentiam egerunt in prædicatione Jonæ; & ecce plusquam Jonas hic.

(k) Nemo lucernam accendit, & in abscondito ponit, neque sub modio, sed supra candelabrum, ut qui ingreditur, lumen videant. Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit; si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit. Vide ergo ne lumen quod in te est, tenebræ sint. Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum, & sicut lucerna fulgoris illuminabit te.

(l) Et cum loqueretur, rogavit illum quidam pharisæus ut pranderet apud se. Et ingressus recubuit. Pharisæus autem coepit intra se reputans dicere, quare non baptizatus esset ante prandium. Et ait Dominus ad illum: Nunc vos pharisæi quod de foris est calcatis, & catini mundatis; quod autem intus est vestrum, plenum est rapina, & iniquitate. Stulti, nonne qui fecit quod de foris est, etiam id quod de intus est fecit? Verumtamen quod superest date elemosynam; & ecce omnia munda sunt vobis. Sed vae vobis pharisæis, quia decimatis mentham, & rutam, & omne olus; & præteritis judicium, & caritatem Dei. Hæc autem oportuit facere, & illa non omittere. Vae vobis pharisæis, qui diligitis primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro. Vae vobis, qui estis ut monumenta, quæ non apparent, & homines ambulantes supra nesciunt.

(m) Respondens autem quidam ex legisperitis, ait illi: Magister, hæc dicens, etiam contumeliam nobis facis. At ille ait: Et vobis legisperitis vae, quia oneratis homines oneribus quæ portare non possunt; & ipsi uno digito vestro non tangitis farcinas. Vae vobis, qui ædificatis monumenta Prophetarum; patres autem vestri occiderunt illos. Profecto testificamini, quod consentitis operibus patrum vestrorum; quoniam quidem ipsi eos occiderunt; vos autem ædificatis eorum sepulcra. Propterea, & sapientia Dei dixit: Mit-

tam ad illos Prophetas, & Apostolos; & ex illis occidunt, & persequuntur: ut inquiratur sanguis omnium Prophetarum, qui effusus est à constitutione mundi à generatione ista, à sanguine Abel usque ad sanguinem Zachariae, qui perit inter altare & aedem. Ita dico vobis, requireretur ab hac generatione. Vae vobis legisperitis, qui tulistis clavem scientiae: ipsi non introistis, & eos qui introibant, prohibuistis. Cum autem hæc ad illos diceret, coeperunt pharisæi, & legisperiti graviter insultare, & os ejus opprimere de multis, insidiantes ei, & quærentes aliquid capere de ore ejus, ut accusarent eum.

(a) **B**Eda (cap. 46. in Luc.) Post (1) historiam fororum, quæ duas Ecclesie vitæ significaverunt, non frustra Dominus, & ipse orasse, & discipulos orare docuisse scribitur: quia & oratio quam docuit, utriusque in se vitæ continet mysterium, & ipsatum perfectionem vitæ, nostris non viribus est obtinenda, sed precibus; unde dicitur: *Et factum est cum esset in quodam loco orans. Cyrillus. (a)* Cum autem habere omnis boni plenitudinem, cum orat, si plenus est, & in nullo penitus eget? Ad hoc dicimus, quod competit ei ex modo dispensationis in carne, cum voluerit, humana profectui tempore ad hoc conveniente. Si enim comedit, & bibit, non incongrue utebatur oratione: ut doceat nos non esse erga hoc tepidos, sed attentius insistere orationibus. *Titus. (b)* Cum autem novam conversationem vidissent discipuli, novam formam orationis postulerunt, cum plures orationes continerentur in veteri testamento: unde sequitur: *Ut cessavit, dixit unus ex discipulis ejus ad eum: Domine, doce nos orare: ne scilicet contra Deum peccemus, alia quærentes pro aliis, vel Deo assidentes in oratione non eo modo quo expedit. Origenes. (c)* Et ut orationis doctrinam proferat, insert: *Sicut Joannes docuit discipulos suos: de quo scilicet nos docuisti, quod inter natos mulierum nullus eo major surrexit: & quia præcepisti nobis petere aeterna, & gratia; unde erit nos ad horum pervenire notitiam, nisi à te Deo, Salvatore nostro. Gregorius Nissenus. (d)* Orationis ergo doctrinam explicat discipulis, qui solerter notitiam orationis exposcunt, ostendens qualiter implorari oporteat divinum auxilium. *Basiliius. (e)* Duo autem sunt modi orationis. Unus quidem laudis cum humilitate; secundus vero petitionis, remissior. Quoties ergo oras, non prius ad petendum prorumpas. Sin autem tuum criminari affectum, quasi necessitate coactus supplices Deo. Sed cum incipis orare, quamlibet desere creaturam visibilem, & invisibilem; (2) sumas autem exordium à laude illius qui cuncta creavit; unde subditur: *Et ait illis: Cum oraveritis, dicite, Pater. Augustinus de Ver. Domini. (serm. 28.)* Primus sermo quærat gratiæ? Faciem tuam non audebas ad cælum levare, & subito accepisti gratiam Christi. Ex malo servo factus es bonus filius; ideo præsume non de tua operatione, sed de Christi gratia. Non ergo hic arrogancia est; sed fides: prædicare quod accepisti, non est superbia, sed devotio. Ergo attolle oculos ad Patrem, qui te per lavacium genuit, qui per Filium te redemit: patrem dicas quasi filius; sed noli tibi aliquid specialiter vindicare: solius Christi specialis est Pater, nobis est Pater omnibus in communi: quia illum solum genuit, nos autem creavit. Et ideo secundum Matth. 6. dicitur: „ Pater noster; „ & additur: „ Qui es in cælis; „ in illis scilicet cælis de quibus dictum est Psal. 118. „ Cæli enarrant gloriam Dei. „ Cælum est ubi culpa cessavit, ubi nullum mortis est vulnus. *Theophylactus* (super „ Qui es in cælis. „) Non autem dicit. „ Qui es in cælis, „ tanquam ibi circumscriptur; sed ut ad cælos erigat auditorem, & abstrahat à terrenis. *Gregorius Nissenus. (f)* Vide autem quantæ preparationis (3) opus est ut audacter possis Deo dicere, *Pater*: quia si ad res mundanas intuium dirigit, aut humanam gloriam ambis, aut sordes passibilis appetitus, & hanc orationem enunties; audire mihi videor Deum dicentem: Cum corrupte fueris vitæ, si patrem vocas incorruptibilitatis genitorem, sceda voce inquinans incorruptibile nomen: nam qui patrem mandavit vocare, proferre mendaciam non concessit. Omnium vero bonorum exordium est glorificare nomen Dei in vita nostra: unde subdit: *Sanctificetur nomen tuum.* Quis enim est adeo bestialis qui videns in credentibus vitam puram, non glorificet nomen invocatum in tali vita? Igitur qui dicit in oratione, *Sanctificetur in me invocatum nomen tuum*, (4) hoc orat: *Fiam*, tuo concurrente subsidio justus, & abstinens à quolibet malo. *Chrysostomus* (hom. 18. in Ep. 1. ad Corinth. à medio.) Sicut enim cum quis cæli pulchritudinem aspiciat, dicit, *Gloria tibi Deus*; sic etiam cum

(1) *Al.* per historiam. (2) *Al.* Sumimus. (3) *Al.* omittitur opus. (4) *Al.* hoc orat, nominis concurrente subsidio, justus abstinens est à quolibet malo.

EX EDIT. P. NICOL. (a) In Cat. Græc. PP. (b) In Matthæum. (c) In Cat. Græc. PP. (d) In orat. dominicam serm. 1. (e) In Const. monast. cap. 1. (f) In orat. domin. serm. 2.

cum aspiciat alicujus virtutem: quia hominis virtus multo magis quam cælum glorificat Deum. *Augustinus de Ver. Dom. (serm. 27.)* Vel dicitur: *Sanctificetur nomen tuum*, in nobis, ut ad nos possit ejus sanctificatio pervenire. *Titus. (a)* Vel dicit: *Sanctificetur nomen tuum*: id est, nota sit tua sanctitas toti mundo, & laudet te decenter. „ Rectos autem decet coalludatio. „ *Psal. 32.* Jussit igitur orare pro emendatione mundi totius. *Cyrillus. (b)* Quoniam penes eos ad quos nondum pervenit fides, contemnitur adhuc nomen Dei; sed ubi jubar veritatis super eos (1) illuxerit, eum favebunt sanctum sanctorum. *Titus. (c)* Et quia in nomine Jesu est gloria Dei Patris: tunc nomen Patris sanctificabitur, quando Christus erit notus. *Origenes. (d)* Vel quia nomen Dei ad errantibus attribuitur culturis, & creaturis; nondum est sanctificatum, ut sit separatim à quibus debuit separari. Decet ergo nos orare ut nomen Dei adaptetur soli vero Deo, cui adaptatur quod subditur: *Adveniat regnum tuum*: ut scilicet evacuetur principatus, & potestas, & virtus, & regnum mundi, quin etiam peccatum, quod regnat in mortalibus nostris corporibus. *Gregorius Nissenus. (e)* Imploramus etiam à Domino liberari à corruptione, eximi à morte. Vel secundum quosdam, *adveniat regnum tuum*; id est, veniat super nos Spiritus Sanctus tuus, ut purificet nos. *Augustinus de Ver. Dom. (serm. 28.)* Tunc enim venit regnum Dei quando ejus sumus gratiam consecuti: ipse enim ait infra 17. *Regnum Dei intra vos est. Cyrillus. (f)* Vel qui hoc dicunt, videntur optare rursus resurgentem in mundo omnium Salvatorem. Mandavit autem in oratione petere illud tempus revera terribile, ut sciant quod vivere decet eos non lente, vel remisse, ut illud tempus non pareat eis flammam, & vindictam; sed magis honeste secundum voluntatem ipsius, ut eis tempus illud nectat coronas: unde secundum Matth. 6. sequitur: „ Fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra. „ *Chrysostomus. (g)* Quasi dicat: Præsta nobis Domine conversationem imitari cælestem, quatenus quæcumque tu vis, nos etiam velimus. *Gregorius Nissenus. (h)* Quoniam enim vitam humanam post resurrectionem similem dicit esse venturam vitæ angelicæ, consequens est vitam mundanam ad vitam quæ postmodum spectatur, disponi, ut in carne viventes, carnaliter non vivamus. Per hoc autem verus medicus anime solvit morbi naturam, ut quos occu-

pavit infirmitas per hoc quod à voluntate divina recesserant, à morbo denuo liberet copulatio ad voluntatem divinam. Est enim sanitas animæ executio debita voluntatis divinæ. *Augustinus in Ench. (cap. 25. & 115.)* Apud Evangelistam igitur Matthæum septem petitiones continere videtur dominica oratio; Evangelista vero Lucas in oratione Dominica petitiones non septem, sed quinque complexus est, nec ab illo utique discrepavit. Sed quomodo illa septem sint intelligenda; ipse sub brevitate commouit. Nomen quippe Dei sanctificatur in spiritu; Dei autem regnum in resurrectione futurum est. Ostendens ergo Lucas tertiam petitionem duarum superiorum esse quodammodo repetitionem, magis eam prætermittendo voluit intelligi. Deinde tres alias adjunxit; & primo de pane quotidiano, dicens: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Augustinus de Ver. Dom. (serm. 28. circ. med.)* In Græco dicitur *epiuston*, hoc est supersubstantialem. Non iste est panis qui vadit in corpus, sed ille panis vitæ aeternæ, qui animæ nostræ substantiam fulcit. Latinus autem hunc quotidianum panem dicit, quem Græci dicunt advenientem. Si quotidianus ille est panis, cur post annum illum sumas, quemadmodum Græci in oriente facere consueverunt? Accipe quotidie quod quotidie tibi prosit: sic vive quod quotidie merearis accipere. Mors Domini significatur, & remissio peccatorum. Qui vulnus habet, medicinam quaerit: vulnus est, quia sub peccato sumus; medicina est caeleste, & venerabile sacramentum. Si quotidie accipis, quotidie tibi est hodie; Christus tibi quotidie resurgit: hodie est enim quando Christus resurgit. *Titus. (i)* Vel panis animarum divina est virtus afferens futuram vitam perennem, sicut panis ex terra prodians vitam temporalem conservat. Cum autem quotidianum dixisset, divinum qui advenit, & futurus est, significat; quem nobis hodie præstari requirimus, poscentes quoddam ejus principium, atque gustum, quando spiritus in nobis inhabitans virtutem operatur, quæ super omnem virtutem humanam; puta castitatem, humilitatem, &c. *Cyrillus. (k)* Putant autem forsitan (2) aliqui indecens esse, sanctos à Deo quaerere corporalia, & ob hanc causam applicant quod dicitur, ad spirituales (3) considerationem. Ego autem concedam quod oportet sanctos præcipue satagere ad obtinenda spiritualia dona; illud tamen decet inspicere quod irrepre-

S. Thom. Oper. Tom. IX.

(1) *Al.* illuxit. (2) *Al.* aliquid indecens. (3) *Al.* professionem.

EX EDIT. P. NICOL. (a) In Matthæum. (b) In Catena Græc. PP. (c) Ubi supra. (d) In Catena Græc. PP. (e) Ubi supra. (f) Ubi supra. (g) In Catena Græc. PP. ex hom. 20. in Matthæum. (h) In orat. domin. serm. 4. (i) In Matthæum. (k) Ubi supra.

hensibiliter petunt, Domino precipiente, panem communem: ex eo (1) enim quod panem jussit querere, id est quotidianum alimentum, videtur quod nihil concedat eos habere; sed magis honestam colere paupertatem: non enim est habentium panem petere, sed oppressorum penuria. *Basilus.* (a) Quasi dicat: Panem quotidianum, qui nostræ substantiæ competit ad vitam diurnam, non tibi ipsi commendas; sed ad Deum causa ejus refugas, exponens ei necessitatem naturæ. *Chrysostr.* (hom. 24. in Matth.) Postulanda ergo sunt divinitus necessaria vitæ, non ciborum diversitates, & vina odorifera, & cetera quæ delectant guttur, onerant autem ventrem, & mentem perturbant; sed panis, qui potest substantiam corporis sustentare; & illum qui nobis hodie tantummodo sufficit, ut de crastino non cogitemus. Unam (2) autem solam petitionem sensibilem querimus, ut presentibus non (3) affigamur. *Gregorius Nissenus.* (b) Postquam autem per bona opera fiduciam sumere docuit, consequenter remissionem reatum docet implorare: sequitur enim: *Et dimitte nobis peccata nostra.* *Titus.* (c) Hoc (4) autem additum est necessario, pro eo quod nullus sine peccato reperitur, ne impediamur à sacra participatione propter humana peccata. Cum enim teneamur exhibere Christo omnimodam sanctitatem, qui Spiritum Sanctum habitare facit in nobis, redarguendi sumus, si non observemus ei templum mundum. Huic autem defectui subvenitur per Dei bonitatem indulgentem humanæ fragilitati peccatorum punitionem. Hoc autem iuste fit à justo Deo, quando nos quasi debitoribus relaxamus, his scilicet qui nobis nocuerunt, & debita non exhibuerunt: unde subditur: *Siquidem & ipsi dimittimus omni debenti nobis.* *Cyrillus.* (d) Vult enim, ut ita loquar, patientiæ quam homines colunt, imitatore fieri Deum, ut qualem ipsi exhibuerunt consensiv bonitatem, talem pari lance recipere petant à Deo, qui (5) iuste recompensat, & novit omnium misereri. (6) *Chrysostr.* (e) Hæc igitur (7) animadvertendo grates agende sunt debitoribus nostris: sunt enim nobis, si sapimus, causa indulgentiæ maximæ; & pauca exhibentes, plurima reperie-

(1) *Al. dæst* enim. (2) *Al. omittitur* autem. (3) *Al. affigamur.* (4) *Al. etiam.* (5) *Al. iusta* repenat. (6) *Al. omittitur index Chrysostr.* (7) *Al. adyertentes: item animadvertentes. Corrigit autem Nicolai sic.* Hæc igitur animadvertentes, gratias agere debemus debitoribus nostris. (8) *Al. naceris.* (9) *Al. in tentationibus.* (10) *Al. expetit.*

EX EDIT. P. NICOL. (a) In Regulis brevioribus ad interrogat. 242. (b) In orat. domin. serm. 5. (c) In Matth. (d) Ubi supra. (e) In Catena Græc. PP. & insinuat ab illo passim hom. 19. & 62. in Matth. hom. 31. Oper. imperf. hom. 27. in Genesim, hom. 1. in Epist. ad Philemonem, sed istem præcisè verbis non occurrit. (f) In Matthæum. (g) In Catena Græc. PP. (h) In Regulis brevioribus ad interrogat. 221.

mus: nam & nos multa debemus, & magna debita Domino; quorum si minimam partem à nobis vellet exigere, jam perissemus. *Augustinus* de Verb. Dom. (serm. 28.) Debitum autem quid est nisi peccatum? Ergo si non accepisses alieni fenoris pecuniam, non deberes; & ideo peccatum tibi impuatur. Habuisti enim pecuniam, cum qua dives (8) nacereris, ad imaginem, & similitudinem factus Dei; sed perdidisti quod habebis; sicut dum arrogantiam desideras vendicare, perdidisti humilitatis pecuniam: accepisti à diabolo debitum, quod non erat necessarium: cautionem tuam tenebat inimicus; sed eam Dominus cruci fixit, & suo cruore delevit. Potens est autem Dominus, qui abstulit peccatum, & debita nostra donavit, custodire nos adversus diaboli insidias, qui culpam generare consuevit: unde sequitur: *Et ne nos inducas in tentationem*, quam scilicet ferre non possumus. Sed quasi athleta talem vult tentationem, quam ferre possit humana conditio. *Titus.* (f) A diabolo enim non tentari est impossibile; sed ne à Deo relinquamur ad tentationes, hoc deprecamur. Quod autem ex permissione divina contingit, illud Deus quandoque facere dicitur in Scriptura; & secundum hoc nisi prohibeat tentationis inualecentiam, quæ supra nos est, tunc nos in tentationem inducit. *Marinus.* (g) Vel mandat Dominus ut petamus, *Ne nos inducas in tentationem*; id est, non permitas voluptuosarum, & spontanearum tentationum nos experientiam pati. Jacobus autem docet, pro veritate certantes non remitti (9) tentationibus involuntariis, & cautivis laborum, dicens cap. 1. „Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incidideris,“ *Basilius.* (h) Non tamen decet nos orando petere afflictiones corporales: universaliter enim præcepit orare, non subire tentationem; sed postquam aliquis subit, (10) expedit à Domino petere virtutem perferendi, ut commendetur in nobis illud Matth. 10. „Qui sustinet usque ad finem, salvus erit.“ *Augustinus* in Ench. (cap. 116.) At vero quod Matthæus in ultimo posuit, „Sed libera nos à malo,“ iste non posuit, ut intelligamus ad illud superius, quod de tentatione dictum est,

per-

pertere: ideo quippe ait, „Sed libera,“ non ait, *Et libera*; tanquam unam petitionem demonstrans: noli hoc, sed hoc. Sed sciat antequam in eo se liberari à malo quod non inferitur in tentationem. *Augustinus* de Verb. Dom. (cap. 28.) Unusquisque enim petit ut à malo, hoc est ab inimico, & peccato, liberetur; sed qui Deo se committit, diabolum non timer. „Si enim Deus pro nobis, quis contra nos?“ *Rom. 8.*

(b) *Cyrillus.* (1) (a) Docuerat supra Salvator ad petitionem Apostolorum, qualiter oportet orare; poterat autem coningere eos qui hoc salutare documentum receperant, effundere quidem preces juxta traditam formam, sed negligenter, & remisse hoc facere; & deinde cum non exaudirentur per primam, vel secundam orationem, desistere ab orationibus. Itaque ne hoc pateremur, per modum parabole manifestat, quod pusillanimitas in orationibus damnosa est. Utilissimum vero est in eis patientiam habere: unde dicitur: *Et ait ad illos: Quis vestrum habebit amicum?* *Theophylactus.* Amicus iste Deus est, qui omnes amat, & omnes salvos vult fieri. *Ambrosius* (de exemplo Domini ind. discip. ad orat.) Quis etiam est nobis amicus quam qui pro nobis corpus suum tradidit? Datur autem nobis hic alius præcepti modus, ut omnibus momentis, non solum diebus, sed etiam noctibus oratio deferatur: sequitur enim: *Et ibit ad illum media nocte* sicut petiit David quando (2) dixit Psalm. 118. „Media nocte surgebam ad confitendum tibi:“ neque enim timuit excitare dominicem, quem scit semper esse vigilantem. Nam si ille tam sanctus, & qui regni erat necessarius occupatus, sepius in die laudem Domino dicebat; quid nos facere debemus, qui eo amplius rogare debemus quo frequentius carnis, ac mentis fragilitate (3) delinquimus? (4) Quid quod diligendo Dominum Deum tuum, non solum tibi, sed etiam aliis poteris emereri? Sequitur enim: *Et dicit illi: Amice, commoda mihi tres panes: quoniam amicus meus venit ad me de via, & non habeo quod ponam ante illum.* *Augustinus* de Verb. Dom. (serm. 29. aliq. à ptine.) Quid autem sunt isti tres panes nisi mysterii celestis alimentum? Fieri enim potest ut aliquis passus fuerit amicum aliquid interrogantem quod respondere non possit; & tunc se invenit non habere quando coactus est dare. Venit ergo tibi amicus de via hujus sæculi, in qua omnes velut peregrini tran-

seunt; nec ullus quasi possessor manet; sed omnium hominum dicitur: „Transi, da venuro locum.“ *Eccl. 29.* aut foris de via mala, hoc est de via mala, fatigatus nescio quis amicus tuus non inveniens veritatem, qua audiam, & accepta beatus Venit ad te tanquam ad Christianum, & dicit: „Redde mihi rationem; & interrogat quod forte tu per simplicitatem fidei nesciebas; & non est unde reficias esuriem, & compelleris querere in dominicis libris: fortalis enim quod ille interrogavit, in libro positum est; sed obscurum est; ipsum Paulum, aut Petrum, aut aliquem Prophetam interrogare non timeris; jam enim requisivit familia ista cum Domino isto suo: & sæculi hujus ignorantia valida est, hoc est nos media, & urget amicus esuriens, cui simplex fides non sufficit. Numquid deserendus est? Ergo ad ipsum Dominum, cum quo familia requisivit, pulsa orando; de quo subditur: *Et ille de intus respondens dicit: Noli mihi molestus esse.* Qui differi dare, vult ut amplius desideres dilatum, ne vilescat cito datum. *Basilus.* (b) Foris etiam ob hoc differi quasi ingeminans tui assiduitatem, & frequentiam erga se, & ut agnoscas quid donum Dei sit, & in timore donata custodias. Quicquid enim aliquis multo labore acquiri, nititur custodire, ne cum illud perdidit, suum laborem amittat. *Gregorius* (ordinaria super illud, *Noli mihi molestus esse.*) Non ergo aures impetrandi licentiam; sed vehementius accendit desiderium orandi, ostensa difficultate consequendi: sequitur enim: *Jam estium, clarissimum est.* *Ambrosius* (ubi supra.) Hoc est osium quod aperiri sibi etiam Paulus exposcit, non solum suis, sed etiam populi orationibus obsecrans se juvari, ut aperiret sibi osium ad loquendum mysterium Christi. Et forsate illud est osium quod aperit vidit Joannes, est dictum tibi, Apocal. 6. „Ascende huc, & ostendam tibi quæ oportet fieri.“ *Augustinus* de Quæst. Evang. (Lib. 2. cap. 21. Significatur ergo tempus famis, verbi, cum intelligitur clauditur, & illi qui apostolicam sapientiam tanquam panem erogantes per orbem terræ prædicaverunt, jam sunt in secreta quiete cum Domino: & hoc est quod subditur: *Et pueri mei mecum sunt in cubili.* *Gregorius Nissenus.* Opportune eos qui per amantissimam impasibilitatem vendicaverunt sibi, pueros appellat, docens quod bonum, quod per studia in nobis (5) acquiritur, ab initio fuerat in natura repositum: nam quando aliquis ab-

(1) *Al. Chrysostr.* (2) *Al. dicebat.* (3) *Al. delinquimus.* (4) *Al. omittitur* Quid. *Nicolai autem legi:* Quod si diligas Dominum Deum tuum &c. punctum apponendo affirmationis, non interrogationis. (5) *Al. dicit* acquiritur.

EX EDIT. P. NICOL. (a) In Cat. Græc. PP. (b) In Constit. monast. cap. 1. versus finem.

renuans carni per rationem, exercitio vitæ virtuosæ passionem confutavit, tunc quasi puer insensibiliter se habet erga passiones. Cubile autem requiem intelligimus saluatorum. *Glossa.* Et propter præmissa subdit: *Non possum surgere, & dare tibi:* quod est ad difficultatem imperandi referendum. *Augustinus* de Quæst. Ev. (Lib. 2. cap. 21.) Vel aliter. Amicus ad quem venit media nocte, ut accomodet tres panes, utique ad similitudinem ponitur secundum quam quis rogat Deum in media tribulatione constitutus, ut ei tribuat intelligentiam Trinitatis, qua præsentis vitæ confoletur labores. Ipsa enim angustia media nox est, qua cogitur vehementer insitare. In tribus autem panibus etiam illud significatur, unius substantiæ esse Trinitatem. Amicus autem veniens de via intelligitur hominis appetitus, qui debet rationi servire: serviet autem consuetudini temporali; quam viam vocat propter omnia transeuntia. Conversio autem homine ad Deum, etiam ille appetitus à consuetudine revocatur. Sed si non confoletur interiori gaudium de doctrina spiritali, qua Creatoris Trinitas prædicatur, magna angustia sunt in homine; quem premit ærumna mortalis, cum ab his qua foris delectant præcipitur abstinentia, & intrus non est refectio de letitia doctrinæ spiritalis: (1) & tamen orando efficitur ut accipiat desiderans intellectum à Domino, etiam homo desit per quem sapientia prædicatur: sequitur enim: *Et ille si perseveraverit pulsans, dico vobis, & si non dabit illi surgam, eo quod amicus ejus sit, propter improbitatem tamen ejus surget, & dabit illi quotquot habet necessarios.* Comparatio est à minori: si enim amicus homo surgit de lecto, & dat, non amicitia, sed tædio compulsus; quanto magis Deus dat, qui sine tædio largissime donat quod petitur? *Augustinus* de Verb. Dom. (serm. 29. inter princ. & med.) Cum autem perveneris ad tres panes, hoc est ad cibum, & intelligentiam Trinitatis, habes & unde vivas, & unde pasças. Ne timeas, ne finias: non enim panis ille finietur, sed indigentiam tuam finiet: discis, & doce, vive, & pasce. *Theophylactus.* Vel aliter. Media nox finis est vitæ, in quo multi ad Deum adveniunt. Amicus autem est Angelus, qui accipit animam. Vel media nox est profundum tentationum, in quo constitutus petit à Deo tres panes, necessitatem scilicet corporis, animæ, & spiritus, (2) per quæ in tentationibus non periclitamur. Amicus autem qui de via venit, ipse Deus est, qui in tentationibus nos probat;

(1) *Al. omittitur conjunctio &.* (2) *Al. per quem.* (3) *Nicolai legit in eas incidimus.* (4) *Al. ut momentis.*

Ex edit. P. Nicol. (a) In Cat. Græc. PP. (b) Idem Severus Antiochenus in Cat. Græc. PP.

(c) In eadem Cathena.

cui non habet quod apponat qui in tentatione infirmatur. Quod autem dicit, *Et clausa est janua,* intelligendum est, quod docet nos ante tentationes preparados esse, postquam vero (3) tentationi incidimus, præparationis janua clauditur, & imparati invenit, nisi Deus adjuvet, periclitamur.

(c) *Augustinus* de Verb. Dom. serm. 29. parum à princ.) Posita similitudine, adjunxit exhortationem Dominus, & omnino stimulat nos querere, petere, pulsare, donec accipiamus quod petimus: unde dicit: *Et ego dico vobis: Petite, & dabitur vobis.* *Cyrillus.* (a) Quod dicit, *Dico vobis,* vim habet juramenti: Deus enim non mentitur. Quandocumque autem inquit audientibus aliquid cum juramento, ostendit inexcusabilem nostræ fidei parvitatem. *Chrysostomus* (hom. 34. in Matth. à med.) Per petitionem autem orationem ostendit, per inquisitionem vero studium, & sollicitudinem, cum subdit: *Quærite, & invenietis:* quæ enim queruntur, plurima cura indigent; quod maxime est in Deo. Plura namque sunt quæ sensum nostrum impediunt. Sicut ergo aurum perditum querimus, sic Deum sollicitè perquiramus. Ostendit etiam quod quamvis non aperiat illico janua, tamen immorandum est: unde subdit: *Pulsate, & aperietur vobis:* quia si querens immoraberis, utique recipies; ob hoc reclusum est ostium ut faciat te pulsare; ideo non mox annuit ut exposcas. *Græcus.* (b) Vel per hoc quod dicit, *Pulsate,* forsitan insinuat petere cum effectu: pulsat enim aliquid manu; boni autem operis signum est manus. Vel hæc tria possunt aliter distingui: virtutis enim initium est petere notam fieri viam veritatis; secundus vero gradus est querere qualiter oporteat transire per viam; tertius gradus est ut cum virtutes attigerit, pulsare ad ostium, ut iniret spatiofam cognitionem: quæ omnia orando aliquis acquirit. Vel petere quidem est orare; querere vero, per bona opera agere orationi condigna; pulsare autem est orationi immorari, nec desistere. *Augustinus* de Verb. Dom. (serm. 29. non procul à princ.) Non autem nos tantum hortaretur ut peteremus, nisi dare veller. Erubescat humana pigritia: plus vult ille dare quam nos accipere. *Ambrosius* (Lib. 6. titulo ubi supra.) Qui autem promittit aliquid, spem debet asserere promissi, (4) ut mandatis obedientia deferatur, promissi fides; & ideo subdit: *Omnis enim qui petit accipit, & qui querit invenit, & pulsanti aperietur.* *Origenes.* (c) Quæret autem aliquis qua-

qualiter quidam orantes non exaudiantur. Ad quod dicendum, quod quicumque recto tramite ad querendum accedit, nil omittens ex his quæ conferunt ad petitorum obtentum, accipiet revera quod precatus est dari sibi; si quis autem (1) diveriat à proposito debite petitionis, cum non petat ut decet, non petit: quo fit ut cum non recipiat, quod hic dicitur, non falsificetur; nam & magistro dicente: Quicumque venit ad me, assequetur disciplinam meam, & adire magistram realiter accipimus, hoc est ut ferventer, & diligenter vacet documentis ipsius: unde & *Jacobus* dicit cap. 4. v. Petitis, & non accipitis, eo quod male petatis, scilicet causa voluptatum vanarum. Sed dicit aliquis: Immo cum aliqui rogant pro divina notitia obtinenda, & recuperatione virtutum, non obtinent. Cui dicendum, quod non propter se bona petiverunt accipere, sed ut commendentur per ea. *Basilii.* (a) Si quis etiam ob torporem exhibeat se desideris, & traditor sui fiat in manus hostium; hunc Deus nec adjuvat: nec exaudit, eo quod per peccatum alienum se fecit à Deo. Decet ergo offerre quicquid interest sua, clamare autem ad Deum, ut adjuvet eum. Est autem divinum subsidium implorandum non remisse, nec mente huc illucque vagante: eo quod talis non solum non impetrabit quod petit, sed magis Dominum iritabit: nam si aliquis coram Principe stans, fixum habet & intrinsecum, & extrinsecum oculum, ne forsitan puniatur; quanto magis coram Deo attentum, ac tremebundum oportet assidere? Si vero debilitatus à peccato fixe nequis orare, quantumcumque potes te ipsum cohibeas, quantumcumque coram Deo ad eum dirigas intellectum; & Deus ignoscit, eo quod non ex negligentia, sed ex fragilitate non potes, ut oportet, assidere coram Deo. Si sic ergo te ipsum compellis, ne discedas donec accipias. Ideo ergo quandoque petis, & non accipis, quia perperam postulasti, vel infideliter, vel leviter, vel non conferentia tibi, vel destituti. Sæpius autem quidam obviant dicentes: Quare oramus? An ignorat Deus quibus opus est nobis? Novit quippe, & omnia spiritalia uberius dat nobis, & antequam postulamus; sed opera virtutis, & regnum celorum oportet prius optare, optantem vero querere, ingentem per fidem, & patientiam quicquid interest sua, in nullo delicto redargutum à propria conscientia. *Ambrosius* (ubi supra à med.) Ergo præceptivus locus frequen-

S. Thom. Oper. Tom. IX.

(1) *Al. divertens.* (2) *Al. in cogitatione.* (3) *Al. laudem.* (4) *Al. nec simpliciter dat vitam nutritivam, & utilis &c.* (5) *Al. omittitur &.* (6) *Al. quam.* (7) *Al. vovendo.*

Ex edit. P. Nicol. (a) In Confit. cap. 1. (b) In Cat. Græc. PP. (c) *Ibid.*

ter orandi spes est impetrandi. Ratio autem persuadendi prius fuit in præcepto, postea fit in exemplo, quod ostendit subdicens: *Quis autem ex vobis patrem petit panem: numquid lapidem dabit illi?* *Cyrillus.* (b) In quo insinuat nos Saluator quiddam necessarium: frequenter enim inconsulto voluptatum impetu, irrui-mus ad perniciofa desideria. Cum igitur aliquid talium à Deo petimus, nequaquam impetrabimus: ad quod ostendendum utitur patenti exemplo ex his quæ penes nos sunt: cum enim filius tuus petit panem, grater propinas, quia cibum petit opportunum; quando vero sensus penuria lapidem poscit ut comedat, non affers ei, sed potius prohibes eum à nocivo desiderio, ut sit sensus: *Quis autem ex vobis patrem petit panem,* quem scilicet pater dat: *numquid lapidem dabit illi?* scilicet si petierit. Eadem quoque ratio est in serpente, & pisce, de quo subdit: *Aut piscem: numquid pro pisce serpentem dabit illi?* Et similiter in ovo, & scorpione, de quo subdit: *Aut si petierit ovum, numquid porriget illi scorpionem?* *Origenes.* (c) Tu tamen attende, si panis quidem est animæ cibus (2) in cognitione, sine quo non contingit salvari; puta perspicax ratio vitæ debite: piscis autem est amor discipline; puta mundi constitutionem agnoscere, elementorum effectum, & quæcumque consequenter differit sapientia. Itaque nec vice panis Deus propinat (3) lapidem, quem volebat diabolus à Christo manducari, nec vice piscis serpentem, quem comedunt *Ethiopes*, indigni pisces comedere; (4) nec similiter dat vice nutritivi, & utilis, non comestibilia, & nociva; quod refertur ad scorpionem, & ovum. *Augustinus* de Quæst. Evang. (Lib. 2. cap. 22.) Vel potius intelligitur caritas propter majorem appetitum, (5) & tam necessarium ut sine illa cetera nihil sint, sicut sine pane mensa est inops; qui contraria est cordis duritia, quam lapidi comparavit. Piscis autem intelligitur fides invisibilium vel propter aquam baptismi, vel quia de invisibilibus locis capitur. Quod etiam fides mundi fluctibus circumjacta non frangitur, recte pisci comparatur: cui contrarium posuit serpentem propter venena fallaciam, (6) quæ etiam primo homini male suadendo præfeminavit. In ovo intelligitur spes: ovum enim nondum est fetus perfectus, sed (7) fovendo speratur: cui contrarium posuit scorpionem, cuius aculeus venenatus retro timendus est, sicut contrarium spei est

X 2

retrospicere, (1) cum spes futurorum in illa quae ante sunt se extendat. *Augustinus* de Verb. Dom. (serm. 29.) Quanta tibi loquitur mundus, quanta post dorsum strepit, ut retro respicias? O munde immunde, quid strepis, quid avertere conaris? Tenere vis periens dulcis, si maneres? Quem non deciperes dulcis, si amarus alimenta mentiris? *Cyrillus*. (a) Ex praemisso autem exemplo concludit: *Si ergo vos, cum sitis mali, id est cum mentem susceptivam pravitate geratis, non autem uniformem, & fixam in bono, sicut Deus.* *Beda*. (Lib. 3. in Luc. par. ante fin.) Vel malos vocat seculi amatores, qui dant illa quae secundum sensum suum iudicant bona, quae etiam in sua natura sunt bona, & ad usum infirmæ vitæ pertinent: unde subdit: *Nisi bona data dare filiis vestris.* Apolloli etiam, qui merito electionis bonitatem humani generis exceleserant, supernæ bonitatis respectu, mali esse dicuntur: quia nihil per semetipsum bonum, nisi deitas sola. Quod vero subditur, *Quanto magis Pater vester de caelo dabit spiritum bonum petentibus se?* Pro quo *Matthæus* posuit cap. 7. Dabit bona petentibus se: Offendit Spiritum Sanctum plenitudinem (2) donorum Dei: quia omnes utilitates quæ ex donorum Dei gratia suscipiuntur, ex isto fonte emanant. *Athanasius*. (b) Nisi autem Spiritus Sanctus esset de substantia Dei, qui solus est bonus, nequaquam hic appellaretur bonus, quando Dominus renuit dici bonus in eo quod homo factus est. *Augustinus* de Verb. Dom. (serm. 29.) Ergo avare quid quaeris? Aut si aliud petas, quid tibi sufficiat, cui (3) Deus non sufficit?

(d) *Glossa*. (c) Promiserat Dominus, quod spiritus bonus daretur orantibus; cuius quidem beneficium subsequenti miraculo demonstrat: unde dicitur: *Et erat Jesus ejiciens demonium, & illud erat mutum.* *Theophylactus* (super *Et illud erat mutum*) *Cophos* (4) quem Latini interpretantur mutum, apud Græcos frequenter dicitur, qui non loquitur: dicitur etiam & qui non audit; sed magis proprie qui nec audit, nec loquitur. Qui autem à nativitate non audivit, ex necessitate non loquitur: ea enim loquimur quæ per auditum loqui docemur. Si quis tamen ex aliqua passione superveniente auditum amiserit, hunc nihil prohibet loqui. Qui autem Domino oblati fuit, & mutus erat

(1) *Al.* retro respicere. (2) *Al.* bonorum. *Pater Nicolai legit* plenitudinem esse donorum Dei. (3) *Al.* Dominus. (4) *Duo Veneta exempla supra citata, & Antwerpense habent:* Dicitur autem mutus at in pluribus qui non loquitur. *P.* autem Nicolai legit Dicitur autem Cophos ut in pluribus &c. (5) *Al.* *Beda*; quem habet etiam *P. Nicolai*. (6) *Al.* in confessione.

EX EDIT. P. NICOL. (a) Ubi supra. (b) Dialogo 1. de Trinitate. (c) Non est in Glossa quæ nunc extrat. (d) In Matth. (e) In Cat. Græc. PP. (f) Ibid.

autem ut vidit cogitationes eorum, dixit eis: *Omne regnum in se divisum desolabitur, & domus supra domum cadet.* *Beda* (cap. 48. in Lucam.) Non ad dicta, sed ad cogitata respondit, ut vel sic compellerentur credere potentiae ejus, quæ cordis videbat occulta. (1) *Chrysostramus* (hom. 42. in Matth.) Non autem respondebat ex Scripturis, quia non (2) attendebant, falso eas exponentes; sed ex his respondet quæ communter accidit. Domus enim, & civitas si fuerit divisa, velocius dissipatur, & etiam regnum, quo nihil est validius: firmat enim regna, & domos subditorum concordia. Si ergo, inquit, ego per demonem daemona ejicio, dissenso inter eos est, & perit virtus eorum: unde subdit: *Si autem & satanas in seipsum divisus est, quomodo stabit regnum ejus: quia dicitis me in Beelzebub ejicere daemona?* Non enim satanas sihi ipsi repugnat, nec suis satellitibus nocet, sed potius statuit regnum suum. Restat ergo quod divina virtute conteram satanam. *Ambrosius* (Lib. 7. in Luc. de arg. pharis.) In hoc etiam ostendit regnum suum individuum esse, atque perpetuum; & ideo qui non in Christo spem gerunt, sed in principe demoniorum ejicere daemones opinantur, eos regni negat esse perpetui; quod spectat etiam ad populum Judæorum. Quomodo enim potest regnum Judæorum esse perpetuum, quando à legis populo Jesus negatur, qui ex lege debetur? Ita ex parte se fides Judaica plebis impugnat, (3) impugnando dividitur, dividendo dissolvitur; & ideo regnum Ecclesiae manebit æternum, quia indivisa fides corpus est unum. *Beda* (cap. 48. in Lucam.) Regnum etiam Patris, & Filii, & Spiritus Sancti non est divitum, quod est æterna stabilitate mansurum. Desistant igitur Arriani junioem Patre Filium, Filio vero Spiritum Sanctum dicere: quia quorum unum est regnum, horum est & una majestas. *Chrysostramus* (hom. 42. in Matth.) Hæc est prima solutio; secunda vero, quæ est de discipulis, quam ponit subdens: *Si autem ego in Beelzebub ejicio daemona, filii vestri in quo ejiciant?* Non dicit, Discipuli mei, sed *fili vestri*, volens eorum permulcere furorem. *Cyrillus*. (a) Judæi namque, & à Judæis, secundum carnem, exorti sunt Christi discipuli; qui potestatem in spiritu immundos adepti erant à Christo, oppressos ab eis in nomine Christi liberabant. Cum ergo filii vestri satanam in nomine meo conerunt, quomodo non habet multam amentiam, dicere me à Beel-

zebub virtutem habere? *Damnabimini* igitur, ex fide naturam vestrorum: unde subditur: *Ideo ipsi iudices vestri erunt, Chrysostramus* (hom. 42. in Matth.) Quoniam enim ex vobis emanantes mihi obediunt, liquet quod condemnabunt operantes contraria. *Beda*. Vel aliter, Filios Judæorum exorcistas illius gentis significat, qui ad invocationem Dei ejiciebant daemones; quasi dicat: Si expulsio demonum in filiis vestris Deo, non daemonebus deputatur; quare in me idem opus non eandem habeat causam? Ergo ipsi vestri iudices erunt, non potestate, sed operatione, dum illi expulsionem demonum Deo assignant, vos Beelzebub principi demoniorum. *Cyrillus*. (b) Postquam ergo quod dicitur, calumnie notam habet, manifestum est quod in spiritu Dei ejicio daemona: unde subdit: *Porro si in digito Dei ejicio daemona, profecto pervenit in vos regnum Dei.* *Augustinus* de Conf. Ev. (Lib. 2. cap. 38.) Quod Lucas digitum Dei dicit, ubi *Matthæus* dixit spiritum, ab eadem sententia non recedit; quin potius & aliquid docet, ut novimus quemadmodum intelligamus ubicumque Scripturarum legerimus digitum Dei. *Augustinus* de Quæst. Ev. (Lib. 2. q. 17.) Dicitur autem Spiritus Sanctus digitus Dei, propter (4) partitionem donorum, quæ in eo dantur unicuique propria, sive hominum, sive Angelorum: in nullis enim membris nostris magis apparet partitio quam in digitis. *Cyrillus*. (c) Vel Spiritus Sanctus dicitur digitus Dei: Filius enim manus, & brachium Patris dicitur: operatur enim Pater cuncta per eum. Sicut igitur digitus non est alienus à manu, sed ei naturaliter in situs: sic Spiritus Sanctus consubstantialiter connexus est Filio, & per eum omnia Filius operatur. *Ambrosius* (Lib. 8. cap. ubi supra.) Nec tamen tibi membrorum compactione nostrorum portio quædam videatur faciendæ virtutis: individua enim rei non potest esse divisio; & ideo ad formam unitatis, non ad distinctionem potestatis referenda digiti nuncupatio est. *Athanasius* (contra Arrianos orat. 2.) Ad præsens autem non renuit Dominus gratia suæ humanitatis dicere se minorem Spiritu Sancto, dicens se in eo daemones ejicere, quasi non sufficiente humana natura ad demonum expulsionem, nisi virtute Spiritus Sancti. *Cyrillus*. (d) Et ideo convenienter dicitur: *Pervenit in vos regnum Dei*; id est, si homo existens in Spiritu divino ejicio daemones, ditata est humana natura in me, & adventi regnum Dei. *Chrysostramus* (hom. 42. in Matth.)

(1) *Al.* *Cyrillus*. (2) *P. Nicolai legit* non attendebat illis, falso &c. (3) *Al.* impii gloria dividitur. (4) *Al.* participationem.

EX EDIT. P. NICOL. (a) Ubi supra. (b) Ibidem. (c) In Thesuro Lib. 13. cap. 2. (d) In Catena Græcorum PP.

Dicit autem, *Super vos*, ut eos attraheret; quasi dicat: Si vobis adveniunt prospera, cur vestra bona fastiditis? *Ambrosius* (Lib. & cap. ut sup. circa med.) Simul ostendit etiam imperialem quamdam esse Spiritus Sancti potestatem, in quo regnum est Dei; nos quoque, in quibus habitat Spiritus, esse regalem domum. *Titus*. (a) Vel dicit, *Pervenit in vos regnum Dei*, ut intelligatur, pervenit contra vos, non pro vobis: horrendus enim est perdis (1) Christi secundus adventus.

(f) *Cyrillus*. (b) Quia necessarium erat per multas consideraciones detrahentium retractare sermonem, utitur nunc exemplo manifestissimo, quod demonstrat volentibus intruere, quod principem hujus sæculi virtute sibi insita vicit, dicens: *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet*. *Chrysostronus* (hom. 42. in Matth. circa med.) Fortem vocat diabolum, non quia naturaliter hujusmodi sit, sed innuens antiquam ejus tyrannidem, quam pusillanimitas nostra causavit. *Cyrillus* (c) Erat enim ante Salvatoris adventum violentia multa, rapiens alienos greges, scilicet Dei, & quasi ad proprium ducens ovile. *Theophylactus*. Arma autem ejus sunt omnes species peccatorum, in quibus confidens invaluit contra homines. *Beda* (cap. 68. in Lucam.) Atrium vero illius mundum vocat, qui in maligno positus est, in quo usque ad Salvatoris adventum potiebatur imperio: quia in cordibus infidelium, sine ulla contradictione quiescebat; sed fortiori potentia Christus victor omnes homines liberando ipsum ejecit: unde subditur: *Si autem fortior illo superveniens vicerit eum, universa arma ejus auferet, in quibus confidebat, & spolia ejus distribuet*. *Cyrillus*. (d) Postquam enim Dei summi Verbum, totius fortitudinis dator, & Dominus virtutum, factum est homo, invasit illum, & arma ejus abstulit. *Beda* (super arma ejus auferet.) Sunt ergo arma ejus astutia, dolique nequitia spiritualis; spolia vero ejus ipsi homines sunt ab eo decepti. *Cyrillus*. (e) Nam qui dudum irretiti fuerant ab eo Judæi in divinam ignorantiam, & errorem, evocati sunt per sanctos Apostolos ad noticiam veritatis, & oblati sunt Deo Patri per fidem adhibitam Filio. *Basilus* (f) Distribuit etiam spolia, exhibens fideles (2) custodias Angelorum ad hominum salutem. *Beda* (ubi supra.) Victor etiam Christus spolia distribuit, quod est insigne triumphantis: quia

captivam ducens captivitatem, dedit dona hominibus; quosdam quidem Apostolos, alios Evangelistas, hos prophetas, illos pastores ordinans, & doctores. *Chrysostronus* (hom. 42. in Matth. circa med.) Deinde ponitur quarta solutio, cum subditur: *Qui non est mecum, adversum me est*; quasi dicat: Ego volo homines offerre Deo, satanas autem contrarium. Qualiter ergo qui mihi non cooperatur, sed dissipat quæ mea sunt, tam mihi consentaneus fieret ut una mecum egeret demones? *Ambr.* Sequitur: *Et qui non colligit mecum, dispergit*. *Cyrillus*. (g) Quasi dicat: Ego veni, ut filios Dei ab eo dispersos congregem; at ipse satanas, cum mecum non sit, quæ collegi, & salvavi, tentat dispergere. Qualiter ergo quibus meis dispensationibus refragat, virtutem mihi ministrat? *Chrysostronus* (Hom. 42. in Matth. à med.) At si qui non cooperatur, adversarius est; multo magis qui obstat. Videtur tamen mihi & Judæos ad presens sub ænigmatate tangere, ordinans eos cum diabolo: nam & ipsi agebant contra eum, & dispergebant quos congregabant.

(g) *Cyrillus* (h) Post præmissa ostendit Dominus unde contigit populo Judæorum ut ad (3) hujusmodi opiniones laberentur de Christo, dicens: *Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquosa, quærens requiem*. Quod enim hoc exemplum ad Judæos spectet, Matthæus cap. 12. expressit, dicens: „ Sic erit & generationi huic pessimæ. “ *Quandiu enim erant in Ægypto viventes ritu Ægyptiorum, inhabitabat in eis spiritus malignus; qui expulsus est ab eis, quando mactaverunt agnum in figura Christi, & lini sunt ejus sanguine, & sic evitarunt destructorem*. *Ambrosius* (Lib. 7. in Luc. in cap. de arg. quibus pharisæi, &c.) Itaque in uno homine totius populi Judaici comparatio est, à quo per legem spiritus immundus exierat. Sed quia in Gentibus, quorum corda prius arida erant, sed postmodum per baptismi rore Spiritus humefcebant, propter fidem Christi requiem diabolus invenire non potuit (immundus enim spiritus Christus incendium est) ideo regressus est ad plebem Judæorum: unde sequitur: *Et non inveniens dicit: Revertar in domum meam unde exivi*. *Origenes*. (i) Idest ad eos qui sunt ex Israel; quos vidit nihil divinum in se continentes, sed desertos, & vacantes habitatio ejus: unde sequitur: *Et cum venerit, inveniet eam*

(1) Nicolai addit Christiani. (2) Al. custodiæ. (3) Al. hujus.

EX EDIT. P. NICOL. (a) In Mathæum. (b) In Catena Græc. PP. (c) In Joan. Lib. 10. cap. 11. (d) Ubi supra (e) Ibidem. (f) Esai 18. (g) Ubi supra (h) In Catena Græc. PP. (i) In Catena Græc. PP.

eam seopis, mundatam. *Ambrosius* (ubi supra.) Forensis enim, (1) & perfunditoria specie computa animo manet interiore pollutior: neque enim sacri fontis irriguo aut abluebat, aut (a) resinguebat ardorem: meritoque ad eam spiritus redibat immundus, adducens secum septem spiritus nequiores: unde sequitur: *Et tunc vadit, & assumit septem alios spiritus secum nequiores se; & ingressi habitant ibi*: quoniam scilicet in hebdomada legis, & octavæ (3) mysterium commisit. Itaque, ut nobis multiplicatur septiformis Spiritus gratia; ita illis immundorum spirituum omnis cumulatur injuria: universitas enim hoc numero aliquoties comprehenditur. *Chrysostronus* (hom. 44. in Matth. à med.) Incolunt autem animas Judæorum demones peiores prioribus: nam tunc temporis in Prophetas sæviebant, nunc vero ipsi Domino Prophetarum injuriantur; atque ideo à Vespasiano, & Tito peiora passi fuerunt quam in Ægypto, & Babylone: unde sequitur: *Et sunt nequissima hominis illius peiora prioribus*. Tunc etiam aderat eis divina provisio, & gratia Spiritus Sancti; nunc vero etiam hac cura privantur: propter quod virtutis major penuria nunc, & ærumna intensior, & dæmonum exactio sævior. *Cyrillus*. (a) Sunt etiam nequissima peiora prioribus, secundum illud apostolicum 2. Pet. 2. „ Melius „ erat eis veritatis viam non cognoscere, quam post agnitam retroire. “ *Beda* (cap. 48. super Cum spiritus immundus.) Potest etiam hoc accipi de heretico quolibet, vel schismatico, vel etiam malo catholico, de quo tempore baptismatis, spiritus exierat immundus, locaque inaquosa peragravit; idest, corda fidelium, quæ à mollitia fluxæ cogitationis expurgata sunt, (4) calidus insidiator explorat, si quos ibi nequitie suæ gressus figere possit. Dicit autem: *Revertar in domum meam unde exivi*: in quo timendum est ne culpa, quam in nobis extinctam credebamus, per incuriam nos vocantes opprimat. Invenit autem eam seopis mundatam, hoc est gratia baptismatis à peccatorum labe castigata, sed nulla boni operis industria cumulata. Per septem autem malos spiritus, quos assumit, universa vitia designat. Nequiores autem dicuntur, quia non solum habebit illa septem vitia quæ septem spiritualibus sunt contraria virtutibus, sed etiam per hypocritism ipsas se virtutes habere simulabit. *Chrysostronus* (hom. 45. in Matth.) Non solum autem illis, S. Thom. Oper. Tom. IX.

(1) Al. & perfunditoria (item perfunditoris) specie comperta, ab immo manet, &c. (2) Al. restringebat. (3) Legit Nicolai mysterium sacrilega mente commisit. (4) Al. callidius. (5) Nicolai ex Beda addit procerum. (6) Al. beatificabitur. (7) Al. vigor. (8) Al. sive filium, virtuosumque habeamus, nos autem obstitamus ab illius virtute, &c.

EX EDIT. P. NICOL. (a) Ubi supra.

sed & nobis fore dicta accipiamus quæ sequuntur: *Et erunt nequissima hominis illius peiora prioribus*: quia si illustrati, & à primis malis remoti, denuo redimus ad eandem nequitiam, gravior deinceps erit pena sequentium peccatorum. *Beda* (cap. 18. in Luc.) Postet etiam simpliciter intelligi, Dominum hac ad distinctionem suorum, & satanæ operum adjunctisse, quod, scilicet ipse semper polluta mundare, satanas vero mundata gravioribus sordibus contaminare festinet.

(h) *Beda* (cap. 48. in Lucam.) Scribis, & Phariseis Dominum tentantibus, simul & blasphemantibus, incarnationem ejus magna fiducia quædam mulier consistit: unde sequitur: *Factum est autem cum hæc diceret, extollens vocem quædam mulier de turba dixit illi: Beatus ventor qui te portavit, & ubera quæ suxisti: ubi & presertim (5) calumniam, & futurorum confudit hereticorum perfidiam: nam sicut tunc Judæi, Sancti Spiritus opera blasphemando verum Dei Filium negabant; sic heretici postea negando Mariam semper virginem, Spiritus Sancti cooperante virtute, nascituro unigenito Deo carnis suæ materiam ministrasse, verum consubstantialemque Patri Filium hominis fateri non debere dixerunt. Sed si caro Verbi Dei secundum carnem nascentis, à carne Virginis matris pronuntiatur extranea, sine causa venter qui eum portasset, & ubera quæ lactassent (6) beatificatur. Quæ vero consequentia ejus lacte credatur nutritus ex cuius semine negatur conceptus; cum ex unius & ejusdem fontis origine, secundum physicos, uterque (7) liquor manare perhibetur? Non autem tantummodo eam quæ Verbum Dei corporaliter generare meruerat, sed & omnes qui idem Verbum spiritualiter auditu fidei concipere, & boni operis custodia vel in suo, vel in proximorum corde parere, & quasi alere studuerint, asserit esse beatos: sequitur enim: *At ille dixit: Quinimmo beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud*. *Chrysostronus* (Hom. 45. in Matth.) Non fuit hoc responsum repudiantis matrem, sed ostendentis quod nihil ei partus profuisset, nisi valde bona, & fidelis fuisset. Ceterum si Mariæ non proderat sine virtutibus animæ Christi ab ea ortum transiit; multo magis nobis sive patrem, sive fratrem, (8) sive filium virtuosum habeamus, nos autem abstitamus ab illius virtute, nequaquam hoc pro-*

Y 2

def-